



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE CLARUM CONSTAT IN ARCHIDIOECESI VASHINGTONENSI  
PATRIUM TEMPLUM IMMACULATAE

B.M.V. CONCEPTIONI DICAUM TITULO BASILICAE MINORIS INSIGNITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Clarum  
constat templum Immaculatae B.M.V. Conceptioni dicatum, quod ipsa in urbe Washingtonensi exstat, patrium esse  
Sanctuarium laude dignum. De Sanctuario loquimur, quod Ipsi mense Octobri anno MCMLXXIX invisimus apostolice  
peregrinantes, quodque, ut res publice enotescit, a compluribus frequentatur Christifidelibus Marialis cultus significandi  
causa. Nunc Nobis audiendae videntur preces huic Apostolicae Sedi recens adhibitae, quibus Venerabilis Frater Noster  
Iacobus Aloisius S.R.E. Cardinalis Hickey, Archiepiscopus Washingtonensis, sua suique cleri ac populi expromens vota,  
petiit ut praestabile quod diximus templum desiderato Basilicae Minoris titulo exornetur. Per has igitur Litteras Nostras,  
qui maxime cupimus ut petitus honos haud paulum et ad Christianam legem tuendam et ad piam venerationem Beatae  
Mariae Virginis gratia plenae fovendam apud dilectos filios illos valeat, hac ipsa die, sententiam Congregationis de Cultu  
Divino et Disciplina Sacramentorum ratam habentes, ex potestate Nostra Apostolica memoratum templum Immaculatae  
Conceptionis B.M.V., quod in Washingtonia patrium eminet Sanctuarium, ad gradum ac dignitatem Basilicae Minoris  
perpetuum in modum evehimus, omnibus iuribus privilegiisque traditis Basilicarum eiusdem ordinis propriis, iis tamen  
servatis, quae Decretum «de titulo Basilicae Minoris» de IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum servanda  
statuit. Contrariis quibuslibet haud obstantibus. Litteras has Nostras nunc et in posterum religiose exerceri volumus  
omnesque suos habere effectus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Octobris,*  
*anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright  
1990 - Libreria Editrice Vaticana

---